



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. [i. e. §. III] Quando, & quomodo Exceptio excommunicationis opponi possit, vel debeat, & quando exceptiones contra testes propnendæ sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

An, & qualiter licitum sit, excommunicato excipere in iudicio, vel appellare, vel aliâ defensione uti?

Non tantum excipere potest in iudicio excommunicatus, sed omni aliâ defensione etiam appellationis uti potest. Prout colligitur ex c. *Cum inter s. h. t.* Quamvis enim agere ipsi in iudicio, aut reconvenire Actorem, non permittatur, voluntariè provocando ad Judicem, quæ tamen necessaria illi sunt ad defensionem media (prout plura refert hoc §. *Auct. Meth.*) (Ius naturæ non permittit illi auferri; quin ipsam appellationem etiam prosequi potest, etiam si ut sic sit actor principalis. Prout summitur ex c. *Significaverunt 11. h. t.* Quia utitur defensionis jure. Plura de his, quæ vix ad hunc Titulum pertinent, circa appellationem excommunicati, aut rescripti ab excommunicato impetrati valorem, vide hoc §. apud *Auct. Meth.*

§. III.

Quando, & quomodo Exceptio excommunicationis opponi possit, vel debeat, & quando exceptiones contra testes proponenda sint?

Exceptio excommunicationis quamvis inter dilatorias numeretur, antelitis contestationem ordinariè opponendas, potest tamen ea in qualibet parte iudicii, etiam post conclusionem in causa, usque ad sententiam definitivam, si ea scienter etiam ab initio omissa fuit, opponi. Nequis cum animæ suæ periculo excommunicato communicare cogatur,

& ut magis censura Ecclesiastica timeatur. Quamvis enim ad legitimas expensas excommunicato faciendas condemnari possit, qui sciens exceptionem hanc omisit, & frustra laboribus & sumptibus fatigavit actorem excommunicatum. Prout statutum habetur in c. *Exceptiones 12. h. t. & in c. Pia 1. eodem in 6.* Quod si tamen aliquis exceptionem excommunicationis alicui obijciat, ut ipsum ab agendo repellat, debet speciem illius (utrum sit major vel minor excommunicatio) & nomen excommunicatoris proprium, & appellativum (vel saltem nomen dignitatis) exprimere (ut sciatur delegatus, an ordinarius Iudex hic sit) & intra octo proximos dies, ab objecta excommunicatione, hanc probare aperitissimis documentis, (per testes scilicet vel instrumenta) prout statuitur in *c. c. x. §. Si quis. h. t. in 6.* admittendus iterum intra tale tempus, si primâ vice in probatione defecerit, non tamen tertio volens excipere, quia præsumitur, postquam bis jam defecit in probatione, malitiosè, & tantum ad subterfugiendam sententiam hoc agere, nisi nova excommunicatio post duas primas probationes interveniat.

Contra personas testium exceptiones obijci, & probari debent, ante latam sententiam (antequam in causa conclusum sit) definitivam c. *Denique 1. h. t.* In ordinariè fieri debent hæ exceptiones ante publicatas attestaciones, nisi non tam contra personam testis, quam contra dictum illius opponatur, aut sententia non transeat in rem iudicatam, quia in his casibus semper locus est opponendi, ad impediendam saltem excommunicatio.

tionem juxta *L. Purè 5. ff. De dol. & met. except.*

§. IV.

An, & qualiter Iudex certum terminum statuere possit, intra quem exceptiones dilatoriae vel etiam peremptoriae proponi debeant?

Potest Iudex partibus litigantibus terminum statuere, intra quem omnes suas dilatorias exceptiones proponere debent, ita ut si post terminum talem finitum opponere aliquas velint, non audiantur; nisi prius protestatae fuissent partes (non tantum generali clausula: *salvis aliis exceptionibus*: sed in specie, & quidem in scripto exprimendo eas, quas velint postea probare) aut exceptio aliqua de novo emerget parti competens, vel nisi is qui opponere vult, juramento asserat, se post lapsum terminum ad notitiam illius primum pervenisse. Prout statuitur in *c. Pastoralis 4. h. 1.* (ad decidendas scilicet, & abbreviandas lites, sine singulari tamen partium praejudicio) aut si intra terminum assignatum probare exceptionem talem non poterit, possit tamen postea (paria enim sunt non competere exceptionem, & eam probari non posse;) aut exceptio sit de incompetencia Judicis, in quem pars consentire non possit (quia est exceptio nullitatis, quae semper opponi potest) aut sit exceptio litis finitae, ad peremptoriè infringenda merita causa; vel sint exceptiones contrariae à reo propositae, quae cum simul probari non possunt, potest reus ab una probanda transire ad aliam, vel denique sit exceptio excommunicationis, juxta

Clement. Excommunicationis, nisi h. 1. Etiam si specificè ad proponendam etiam exceptionem excommunicationis intra tempus praefixum Iudex statuerit (quod beneficium à jure concessum, non potest auferre Iudex) & si quis etiam juraverit se non oppositurum hanc excommunicationis exceptionem; cum talis exceptio non tam in favorem partis, quam oblitum publicum concedatur, & ob periculum animae.

De peremptoriis tamen exceptionibus utrum à Judice certus etiam terminus praefigi possit, quo elapso, non amplius audiantur, dubitant AA. non nisi quòd possit, quàm quomodo possit. Quod in re distinguendum videtur, ita ut si terminum talibus peremptoriis exceptionibus praefixerit, vel cum causae cognitione, vel sine ea: si prius contigit, non potest reus, post elapsum terminum, peremptorias tales exceptiones proponere. *argu. L. 2. ff. de re Judicat.* Si postea contigit, potest reus etiam post terminum à Judice positum elapsum peremptorias exceptiones opponere, cum non possit sine justa causa, & consequenter non sine causae cognitione hoc jure proponendi exceptiones peremptorias privari.

§. V.

An, & qualiter alia nonnullae exceptiones opponi possint, vel non possint?

Plura habens beneficia, si exceptio contra alium de pluritate beneficiorum, non est admittendus, juxta *c. Cuius Ecclesiae 3. h. 1.* Quia non debet quis in alijs reprobare, quod in seipso appro-